

dum sunt phantasmata, quæ sunt intelligibilia actu. Non est igitur homo intellectum habens, per hoc quod intellectus continuatur homini mediante specie intelligibili, cujus subjectum est phantasma.

CAPUT LX.

Quod homo non sortitur speciem per intellectum passivum, sed per intellectum possibilem.

HIS autem rationibus obviatur, secundum prædictam positionem. Dicit enim prædictus Averroës, III. de Anima text. comm. v. & vi. quod homo differt specie à brutis per intellectum quem Aristoteles vocat passivum, qui est ipsa vis cogitativa, quæ est propria homini, loco cuius alia animalia habent quandam æstimatoriam naturalem. Hujus autem cogitativæ virtutis est distinguere intentiones individuales, & comparare eas, ad invicem; sicut intellectus, qui est separatus, & immixtus, comparat, & distinguit inter intentiones universales: & quia per hanc virtutem simul cum imaginativa, & memorativa præparantur phantasmata ut recipiant actionem intellectus agentis, à quo fiunt intelligibilia actu, sicut sunt aliquæ artes præparantes materiam artificii principali; ideo prædicta virtus vocatur nomine intellectus, & rationis, de qua Medici dicunt, quod habet sedem in media cellula capitis: & secundum hujus dispositionem virtutis differt homo unus ab alio in ingenio, & in aliis quæ pertinent ad intelligendum: & per visum hujus, & exercitium acquirit homo habitum scientiæ: unde habitus scientiarum sunt in hoc intellectu passivo sicut in subjecto: & hic intellectus passivus à principio adest puero, per quem sortitur speciem humanam, antequam actu intelligat.

Quod autem hæc sint falsa, & abusive dicta, evidenter apparet.

1. Operationes enim vitæ comparantur ad animam ut actus secundi ad primum, ut patet per Philosophum in II. de Anima text. comm. v. Actus autem primus in eodem præcedit tempore actum secundum, sicut scientia est ante considerare. In quocumque igitur invenitur aliqua operatio vitæ, oportet imponere aliquam partem animæ, quæ comparatur ad illam operationem sicut actus primus ad secundum. Sed homo habet propriam operationem supra alia animalia, scilicet intelligere, & ratiocinari, quæ est operatio hominis in quantum homo est, ut Aristoteles dicit in I. Ethic. cap. ix. Ergo oportet in homine ponere aliquod principium quod proprie dat speciem homini, quod se habeat ad intelligere sicut actus primus ad secundum. Hoc autem non potest esse intellectus passivus prædictus: quia principium prædictæ operationis oportet esse impassibile, & non mixtum corpori, ut Philosophus probat, III. de Anima text. comm. vi. cujus contrarium apparet de intellectu passivo. Non igitur est possibile quod per virtutem cogitativam, quæ dicitur intellectus passivus, homo speciem sortiatur, per quam ab aliis animalibus differat.

2. Adhuc. Quod est passio partis sensitivæ, non potest ponere in altiori genere vitæ quam sit vita sensitiva, sicut quod est passio animæ nutritivæ, non ponit in altiori genere vitæ quam sit vita nutritiva. Constat autem quod phantasia, & hujusmodi potentia quæ ad ipsam consequantur, ut memorativa, & consimiles, sunt passiones partis sensitivæ, ut probat Philosophus in Lib. de memoria. Non igitur

per prædictas virtutes, vel aliquam earum, animal aliquod potest poni in altiori genere vitæ quam sit anima sensitiva. Homo autem est in altiori genere vitæ; quod patet per Philosophum in II. de Anima text. comm. xiv. & infra, qui distinguens genera vitæ, superaddit intellectivum (quod homini attribuit) sensitivo; quod attribuit communiter omni animali. Non igitur homo est vivens vita sibi propria per virtutem cogitativam prædictam.

3. Amplius. Omne movens se ipsum, secundum quod probat Philosophus in VIII. Physic. text. comm. xl. componitur ex movente & motu. Homo autem sicut & alia animalia, est movens se ipsum. Ergo movens, & motum sunt partes ipsius. Primum autem movens in homine est intellectus: nam intellectus suo intelligibili movet voluntatem. Nec potest dici, quod solus intellectus passivus sit movens, quia intellectus passivus est solum particularium: in movendo autem accipitur universalis opinio, quæ est intellectus possibilis; & particularis, quæ potest esse intellectus passivi, ut patet per Aristotelem in III. de Anima text. comm. lviii. & in VII. Ethic. cor. cap. v. Ergo intellectus possibilis est aliqua pars hominis; & est dignissimum, & formalissimum in ipso. Ergo ab eo speciem sortitur; & non ab intellectu passivo.

4. Adhuc. Intellectus possibilis probatur non esse actus corporis alicujus, propter hoc quod est cognoscitivus omnium formarum sensibilium in universali. Nulla igitur virtus cujus operatio se extendere potest ad universalia omnium formarum sensibilium, potest esse actus alicujus corporis. Voluntas autem est hujusmodi: omnium enim eorum quæ intelligimus, possumus habere voluntatem, saltem ea cognoscendi: apparet etiam actus voluntatis in universali: odimus enim, ut dicit Aristoteles in sua Rhetorica Lib. VIII. cap. iv. in universali latronum genus; irascimur autem particularibus tantum. Voluntas autem non potest esse actus alicujus partis corporis, nec consequi aliquam potentiam quæ sit actus corporis: omnis autem pars animæ est actus alicujus corporis, præter solum intellectum proprio dictum. Igitur voluntas in intellectu parte est: unde & Aristoteles dicit in III. de Anima text. comm. xlii. quod voluntas in ratione est, irascibilis autem, & concupiscibilis in parte sensitiva: propter quod & actus concupiscibilis, & irascibilis cum passione sunt; non autem actus voluntatis, sed cum electione. Voluntas autem hominis non est extrinseca ab homine, quasi in quadam substantia separata fundata, sed est in ipso homine: aliter enim non esset dominus suarum actionum, quia ageretur voluntate cujusdam substantiæ separata, & in ipso essent tantum potentia appetitiva cum passione operantes, scilicet irascibilis, & concupiscibilis, quæ sunt in parte sensitiva, sicut & in cæteris animalibus, quæ magis aguntur quam agunt. Hoc autem est impossibile, & destructivum totius moralis Philosophiæ, & politicæ considerationis. Oportet igitur intellectum possibilem in nobis esse, per quem à brutis differamus, & non solum secundum intellectum passivum.

5. Item. Sicut nihil est potens agere nisi per potentiam activam in ipso existentem, ita nihil potens est pati nisi per potentiam passivam quæ est in ipso: combustibile enim est potens comburi non solum quia est aliquid potens comburere ipsum, sed etiam quia in se habet potentiam ut comburatur. Intelligere autem quoddam pati est, ut dicitur in III. de Anima text. comm. iv. Cum igitur puer sit intelligens po-

potentia, etsi non actu intelligat, oportet quod sit in eo aliqua potentia qua sit potens intelligere. Hæc autem potentia est intellectus possibilis. Oportet igitur quod puero jam sit conjunctus intellectus possibilis antequam actu intelligat: non est igitur continuatio intellectus possibilis cum homine per formam intellectam in actu; sed ipse intellectus possibilis inest homini à principio sicut aliquid ejus.

Huic autem rationi responderet Averroës prædictus: dicit enim, quod puer dicitur potentia intelligere duplici ratione. Uno modo quia phantasmata quæ sunt in ipso, sunt intelligibilia in potentia; alio modo quia intellectus possibilis est potens continuari cum ipso, & non quia intellectus sit jam unitus ei.

Ostendendum est autem quod uterque modus sit insufficientis.

1. Alia enim potentia est qua agens potest agere, & alia potentia quia patiens potest pati; & ex opposito dividuntur. Ex eo igitur quod convenit alicui quod possit agere, non competit ei quod possit pati. Posse autem intelligere, est posse pati, cum intelligere quoddam pati sit, secundum Philosophum II. de Anima text. comm. ii. Non igitur dicitur puer potens intelligere ex eo quod phantasmata in eo possunt esse intellecta in actu, cum hoc pertineat ad posse agere: phantasmata enim movent intellectum possibilem.

2. Adhuc. Potentia consequens speciem alicujus, non competit ei secundum id quod speciem non largitur. Posse autem intelligere consequitur speciem humanam: est enim intelligere operatio hominis in quantum hujusmodi: phantasmata autem non dant speciem humanam, sed magis consequuntur operationem hominis. Non ergo ratione phantasmatum potest dici puer potentia intelligens.

3. Similiter autem neque potest dici puer posse intelligere, quia intellectus possibilis potest continuari cum ipso. Sic enim aliquis dicitur potentia agere, vel pati per potentiam activam, vel passivam, sicut dicitur albus per albedinem. Non autem aliquis dicitur albus antequam albedo sit ei conjuncta. Ergo neque dicitur aliquis potens agere, vel pati, antequam potentia activa, vel passiva ei adsit: non ergo de puero potest dici, quod est potens intelligere, antequam intellectus possibilis, qui est potentia intelligendi, sit ei continuatus.

4. Præterea. Aliter dicitur aliquis potens operari antequam habeat naturam qua operetur, & aliter postquam jam habeat naturam, sed impeditur per accidens ab operando; sicut aliter dicitur corpus potens ferri sursum antequam sit leve, & aliter postquam jam est generatum leve, sed impeditur in suo motu. Puer autem est in potentia intelligens, non quasi nondum habens naturam intelligendi, sed habens impedimentum ut non intelligat: impeditur enim ab intelligendo propter multimodos motus in ipso existentes, ut dicitur in VII. Physic. text. comm. xx. Non igitur propter hoc dicitur potens intelligere, quia intellectus possibilis, qui est intelligendi principium, potest continuari sibi; sed quia jam est continuatus, & impeditur ab actione propria: unde impedimento remoto, statim intelligit.

5. Item. Habitus est quo quis operatur cum voluerit. Oportet igitur ejusdem esse habitum, & operationem quæ est secundum habitum. Sed considerare intelligendo, quod est actus hujus habitus, qui est scientiæ, non potest esse intellectus passivi, sed est ipsius intellectus possibilis: ad hoc enim quod aliqua potentia intelligat, oportet quod non sit actus

corporis alicujus. Ergo & habitus scientiæ non est in intellectu passivo, sed in intellectu possibili. Scientia autem in nobis est, secundum quam dicimur scientes. Ergo & intellectus possibilis est in nobis non secundum esse à nobis separatus.

6. Adhuc. Scientia est assimilatio scientis ad rem scitam. Rei autem scitæ, in quantum est scita, non assimilatur sciens, nisi secundum species universales: scientia enim de hujusmodi est; species autem universales non possunt in intellectu passivo esse, cum sit potentia utens organo, sed solum in intellectu possibili. Scientia igitur non est in intellectu passivo, sed solum in intellectu possibili.

7. Amplius. Intellectus in habitu (ut adversarius confitetur) est effectus intellectus agentis. Intellectus autem agentis effectus sunt intelligibilia in actu, quorum proprium recipiens est intellectus possibilis, ad quem comparatur agens sicut ars ad materiam, ut Aristoteles dicit in III. de Anima text. com. xvii. Oportet igitur intellectum in habitu, qui est habitus scientiæ, esse in intellectu possibili non passivo.

8. Præterea. Impossibile est quod perfectio superioris substantiæ dependeat ab inferiori. Perfectio autem intellectus possibilis dependet ab operatione hominis: dependet enim à phantasmatis, quæ movent intellectum possibilem. Non igitur est intellectus possibilis aliqua substantia superior homine: ergo oportet quod sit aliquid hominis, ut actus, & forma ipsius.

9. Adhuc. Quæcumque sunt separata secundum esse, habent etiam separatas operationes: nam res sunt propter suas operationes, sicut actus primus propter secundum: unde Aristoteles dicit in I. de Anima text. com. xii. & xiii. quod si aliqua operationum animæ est sine corpore, possibile est animam separari. Operatio autem intellectus possibilis indiget corpore: dicit enim Philosophus in III. de Anima text. com. viii. quod anima potest agere per se ipsam, scilicet intelligere, quando intellectus est factus in actu per speciem à phantasmatis abstractam, quæ non sunt sine corpore. Igitur intellectus possibilis non est omnino à corpore separatus.

10. Amplius. Quicumque competit aliqua operatio secundum naturam, sunt ei à natura attributa ea sine quibus illa operatio compleri non potest, sicut Aristoteles probat in II. Lib. de celo text. com. z. si stellæ moverentur motu progressivo ad modum animalium, quod natura dedisset eis organa motus progressivi. Sed operatio intellectus possibilis completur per organa corporea, in quibus necesse est esse phantasmata. Natura igitur intellectum possibilem corporeis univit organis: non est igitur secundum esse à corpore separatus.

11. Item. Si sit secundum esse à corpore separatus, magis intelliget substantias quæ sunt à materia separata, quam formas sensibiles, quia sunt magis intelligibiles, & magis ei conformes. Non potest autem intelligere substantias omnino à materia separatas, quia eorum non sunt aliqua phantasmata. Hic autem intellectus nequaquam sine phantasmate intelligit, ut Aristoteles dicit in III. de Anima text. com. xxx. sunt enim ei phantasmata sicut sensibilia sensui, sine quibus sensus non sentit. Non est igitur substantia separata à corpore secundum esse.

12. Adhuc. In omni genere tantum se extendit potentia passiva, quantum potentia activa illius generis: unde non est aliqua potentia passiva in natura cui non respondeat aliqua potentia activa naturalis.

Sed intellectus agens non facit intelligibilia nisi per phantasmata. Ergo nec intellectus possibilis movetur ab aliis intelligibilibus nisi à speciebus à phantasmatis abstractis, & sic substantias separatas intelligere non potest.

13. Amplius. In substantiis separatis sunt species rerum sensibilium intelligibiliter, per quas de sensibilibus scientiam habent. Si igitur intellectus possibilis intelligit substantias separatas, in eis acciperet sensibilium cognitionem. Non ergo acciperet eam à phantasmatis, quia natura non abundat superfluis.

Si autem dicatur, quod substantiis separatis non adest cognitio sensibilium, saltem oportebit dicere, quod eis adsit aliorum cognitio, quam oportet non deesse intellectui possibili, si prædictas substantias intelligit. Habebit igitur duplicem scientiam, unam per modum substantiarum separatarum, aliam à sensibus acceptam; quarum altera superfluetur.

14. Præterea. Intellectus possibilis est quo intelligit anima, ut dicitur in III. de Anima text. com. v. Si igitur intellectus possibilis intelligit substantias separatas, & nos intelligimus eas: quod patet esse falsum habemus enim nos ad eas sicut oculus nocturæ ad Solem, ut Aristoteles dicit, II. Metaph. text. com. 1.

His autem respondetur, secundum positionem prædictam.

1. Intellectus enim possibilis, secundum quod est in se subsistens, intelligit substantias separatas, & est in potentia ad eas, sicut diaphanum ad lucem; secundum autem quod continuatur nobis à principio, est in potentia ad formas à phantasmatis abstractas: unde nos à principio non intelligimus per eum substantias separatas.

Sed hoc stare non potest. Intellectus enim possibilis ex hoc dicitur secundum eos continuari nobis quod perficitur per species intelligibiles à phantasmatis abstractas. Prius igitur est considerare, intellectum ut in potentia ad huiusmodi species quam ut continuatur nobis. Non igitur per hoc quod continuatur nobis, est in potentia ad huiusmodi species.

2. Præterea. Secundum hoc, esse in potentia ad prædictas species, non esset ei secundum se conveniens, sed per aliud. Per ea autem quæ non conveniunt alicui secundum se, non debet aliquid diffiniri. Non igitur ratio intellectus possibilis est ex hoc, quod in potentia est ad prædictas species, ut diffinit ipsum Aristoteles in III. de Anima text. com. 111. & infra.

3. Adhuc impossibile est intellectum possibilem simul multa intelligere, nisi unum per aliud intelligat: non enim una potentia simul pluribus actibus perficitur nisi secundum ordinem. Si igitur intellectus possibilis intelligat substantias separatas, & species à phantasmatis abstractas, oportet quod vel intelligat per species huiusmodi substantias separatas, vel è converso. Quodcumque autem detur, sequitur quod nos intelligimus substantias separatas; quia si nos intelligimus naturas sensibilium, in quantum intelligit eas intellectus possibilis; intellectus autem possibilis intelligit eas per hoc quod intelligit substantias separatas, similiter, & nos intelligimus: & similiter, si sit è converso. Hoc autem est manifeste falsum. Non igitur intellectus possibilis intelligit substantias separatas: non est igitur substantia separata.

CAPUT LXI.

Quod prædicta positio est contra sententiam Aristotelis.

I. Part. quest. LXXVI. art. 1. & 2.

SED quia huic positioni Averroes præstare robur auctoritatis nititur, propter hoc quod dicit Aristotelem ita sensisse; ostendemus manifeste quod prædicta positio est contra sententiam Aristotelis.

1. Primo quidem quia Aristoteles in II. de Anima text. com. VII. diffinit animam, dicens, quod est *actus primus physici corporis, organici, potentia vitam habentis*; & postea subjungit, text. com. VIII. quod *hæc est diffinitio universaliter dicta de omni anima*; non sicut prædictus Averroes fingit com. XI. sub dubitatione hoc proferens, ut patet ex exemplaribus Græcis, & translatione Boetii. Postmodum autem in eodem capitulo text. com. IX. subjungit, esse quasdam partes animæ separabiles, quæ non sunt nisi intellectivæ. Relinquitur igitur quod illæ partes sunt actus corporis.

Nec est contra hoc quod postea, text. com. XII. subjungit: *De intellectu autem, & perfectiva potentia nihil est adhuc manifestum, sed videtur animæ alterum genus esse*. Non enim per hoc vult intellectum alienare à communi diffinitione animæ, sed à propriis naturis aliarum partium; sicut qui dicit, quod alterum genus animalis est volatile à gressibili, non aufert à volatili communem diffinitionem animalis. Unde ut ostenderet in quo dixerit alterum, subjungit, II. de Anima text. com. XXI. *Et hoc solum contingit separari sicut perpetuum à corruptibili*. Nec est intentio Aristotelis (ut Commentator prædictus fingit) dicere, quod nondum est manifestum de intellectu, utrum intellectus sit anima, sicut de aliis principiis. Non enim textus verus habet: *Nihil est declaratum, sive nihil est dictum; sed nihil est manifestum*: quod intelligendum est quantum ad id quod est proprium ei, non quantum ad communem diffinitionem. Si autem, ut ipse dicit Averroes in II. de Anima com. VII. XXXI. & in III. com. v. anima æquivocè dicitur de intellectu, & aliis; primo distinxisset æquivocationem, postea diffinivisset, sicut est consueto sua; alias procederet in æquivoco, quod non est in scientiis demonstrativis.

2. Item. In II. de Anima text. com. XXVII. intellectum numerat inter potentias animæ, & in auctoritate etiam prædicta nominat perspectivam potentiam. Non est igitur intellectus extra animam humanam, sed est quædam potentia ejus.

3. Item. In III. de Anima text. com. 1. incipiens loqui de intellectu possibili, nominat eum partem animæ, dicens: *De parte autem animæ, qua cognoscit anima, & sapit*: in quo manifeste ostendit quod intellectus possibilis sit aliquid animæ.

4. Adhuc autem manifestius per id, quod postea subjungit, declarat naturam intellectus possibilis, dicens, text. com. v. *Dico autem intellectum quo opinatur, & intelligit anima*: in quo manifeste ostenditur, intellectum esse aliquid animæ humanæ, quo anima humana intelligit. Est igitur prædicta positio contra sententiam Aristotelis, & contra veritatem: unde tamquam fictitia repudianda est.

CAPUT LXII.

Contra opinionem Alexandri de intellectu possibili.

HIS igitur verbis Aristotelis consideratis, Alexander posuit, intellectum possibilem esse aliquam virtutem in nobis, ut sic diffinitio communis de anima assignata ab Aristotele in II. de Anima possit sibi convenire. Quia vero intelligere non poterat, aliquam substantiam intellectualem esse corporis formam, posuit prædictam virtutem non esse fundatam in aliqua intellectuali substantia, sed consequentem commixtionem elementorum in corpore humano. Determinatus enim mixtionis humani corporis modus facit hominem esse in potentia ad recipiendum influentiam intellectus agentis, qui semper est in actu, & secundum ipsum est quædam substantia separata, ex qua influentia homo fit intelligens actu. Id autem in homine per quod est potentia intelligens, est intellectus possibilis; & sic videbatur sequi quod ex commixtione determinata in nobis fit intellectus possibilis.

Videri autem primo aspectu hæc positio verbis & demonstrationi Aristotelis esse contraria. Ostendit enim Aristoteles in III. de Anima text. com. IV. ut dictum est, quod intellectus possibilis est immixtus corpori. Hoc autem est impossibile dici de aliqua virtute consequente mixtionem elementorum: quod enim huiusmodi est, oportet quod in ipsa elementorum commixtione fundetur; sicut videmus de sapore, & odore, & aliis huiusmodi. Non igitur positio prædicta Alexandri potest stare cum verbis, & demonstratione Aristotelis, ut videtur.

Ad hæc autem Alexander dicit, quod intellectus possibilis est ipsa præparatio in natura humana ad recipiendum influentiam intellectus agentis: præparatio autem ipsa non est aliqua natura sensibilis determinata, neque est mixta corpori, est enim relatio quædam, & ordo unius ad aliud.

1. Sed hoc manifeste discordat ab intentione Aristotelis. Probat enim Aristoteles III. de Anima text. com. IV. ex hoc, intellectum possibilem non habere determinate aliquam naturam sensibilium, & per consequens non esse mixtum corpori, quia est receptivus omnium formarum sensibilium, & cognoscitivus earum: quod de præparatione non potest intelligi, quia ejus non est recipere, sed magis præparari. Non igitur demonstratio Aristotelis procedit de præparatione, sed de aliquo recipiente præparato.

2. Amplius. Si ea quæ dicit Aristoteles de intellectu possibili, conveniunt ei in quantum est præparatio, & non ex natura subjecti præparati, sequetur quod omni præparationi conveniant. In sensu autem est præparatio quædam ad sensibilia in actu recipienda. Ergo idem dicendum est de sensu, & intellectu possibili; cujus contrarium manifeste subjungit Aristoteles text. com. IV. ostendens differentiam inter receptionem sensus, & intellectus ex hoc quod sensus corrumpitur ex excellentia objectorum, non autem intellectus.

3. Item. Aristoteles attribuit possibili intellectui pati ab intelligibili, suscipere species intelligibiles, esse in potentia ad eas: comparat etiam eum tabulæ in qua nihil est scriptum. Quæ quidem omnia non possunt dici de præparatione, sed de subjecto præparato. Est igitur contra intentionem Aristotelis quod intellectus possibilis sit præparatio ipsa.

4. Adhuc. Agens est nobilius patiente, & faciens facto, sicut actus potentia. Quanto autem aliquid

est immaterialius, tanto est nobilius. Non potest igitur effectus esse immaterialior sua causa. Omnis autem virtus cognoscitiva, in quantum huiusmodi, est immaterialis: unde & de sensu, qui est infimus in ordine virtutum cognoscitivarum, dicit Aristoteles in II. de Anima text. com. CXXI. quod est susceptivus sensibilium specierum sine materia. Impossibile est igitur à commixtione elementorum causari aliquam virtutem cognoscitivam. Intellectus autem possibilis est suprema virtus cognoscitiva in nobis: dicit enim Aristoteles in III. de Anima text. com. v. quod intellectus possibilis est quo cognoscitur, & intelligitur anima. Intellectus igitur possibilis non causatur ex commixtione elementorum.

5. Amplius. Si principium alicujus operationis ab aliquibus causis procedit, oportet operationem illam non excedere causas illas, cum causa secunda agat virtute primæ. Operatio autem animæ nutritivæ etiam excedit virtutem qualitatum elementarium: probat enim Aristoteles in II. de Anima text. com. XI. quod ignis non est causa augmenti, sed concusat aliquo modo; principalis autem causa est anima, ad quam comparatur calor sicut instrumentum ad artificem. Non igitur potest anima vegetabilis produci ex commixtione elementorum: multo igitur minus sensus, & intellectus possibilis.

6. Item. Intelligere est quædam operatio, in qua impossibile est communicare aliquod organum corporeum. Hæc autem operatio attribuitur animæ, vel etiam homini: dicitur enim, quod anima intelligit, vel homo per animam. Oportet igitur aliquod principium in homine esse à corpore non dependens, quod sit principium talis operationis. Præparatio autem sequens commixtionem elementorum, à corpore dependet manifeste. Non est igitur præparatio tale principium, quale intellectus possibilis. Dicit enim Aristoteles in III. de Anima text. com. v. quod intellectus possibilis est quo anima opinatur, & intelligit. Non est igitur intellectus possibilis præparatio.

Si autem dicatur, quod principium prædictæ operationis in nobis est species intelligibilis facta in actu ab intellectu agente; hoc non videtur sufficere: quia cum homo de potentia intelligente fiat actu intelligens, oportet quod non solum intelligat per speciem intelligibilem, per quam fit actu intelligens, sed per aliquam potentiam intellectivam, quæ sit prædictæ operationis principium, sicut & in sensu accidit. Hæc autem potentia ab Aristotele ponitur intellectus possibilis. Intellectus igitur possibilis est non dependens à corpore.

6. Præterea. Species non est intelligibilis actu, nisi secundum quod est depurata ab esse materiali. Hoc autem non potest accidere dum fuerit in aliqua potentia materiali, quæ scilicet sit causata ex principiis materialibus, vel quæ sit actus materialis organici. Oportet igitur poni aliquam potentiam intellectivam in nobis immaterialem, quæ est intellectus possibilis.

7. Adhuc. Intellectus possibilis ab Aristotele III. de Anima text. com. 1. dicitur pars animæ. Anima autem non est præparatio, sed actus: præparatio enim est ordo potentie ad actum; sequitur tamen ad actum aliqua præparatio ad ulteriorem actum, sicut ad actum diaphaneitatis sequitur ordo ad actum lucis. Intellectus igitur possibilis non est ipsa præparatio, sed actus quidam.

8. Amplius. Homo consequitur speciem, & naturam humanam secundum partem animæ sibi propriam, quæ quidem est intellectus possibilis. Nihil autem

tem consequitur speciem; & naturam secundum quod est in potentia, sed secundum quod est actu. Cum igitur preparatio nihil sit aliud quam ordo potentiae ad actum, impossibile est quod intellectus possibilis non sit aliud quam preparatio quaedam in natura humana existens.

CAPUT LXIII.

Quod anima non sit complexio, ut posuit Galenus.

Prædictæ autem opinioni Alexandri de intellectu possibili, propinqua est Galeni Medici de anima: dicit enim animam esse complexionem. Ad hoc autem dicendum motus est per hoc quod videmus ex diversis complexionibus causari in nobis diversas passionem, quæ attribuntur animæ: aliquam enim complexionem habentes, ut cholericam, de facili irascuntur, melancholici vero de facili tristantur. Unde & per easdem rationes hæc opinio improbari potest per quas improbatæ est opinio Alexandri, & per aliquas proprias.

1. Ostensum est enim supra, quod operatio animæ vegetabilis, & cognitio sensitiva excedit virtutem qualitarum activarum, & passivarum, & multo magis operatio intellectus. Complexio autem causatur ex qualitatibus activis, & passivis. Non potest igitur complexio esse principium operationum animæ: unde impossibile est quod aliqua anima sit complexio.

2. Adhuc. Complexio, cum sit quoddam constitutum ex contrariis qualitatibus, quasi medium inter eas, impossibile est quod sit forma substantialis: nam substantiæ nihil est contrarium, nec suscipit magis & minus. Anima autem est forma substantialis, & non accidentalis: alias per animam non sortiretur aliquid genus, vel speciem. Anima igitur non est complexio.

3. Adhuc. Complexio non movet corpus animalis motu locali: sequeretur enim motum dominantis, & sic semper deorsum ferretur. Anima autem movet animal in omnem partem. Non est igitur anima complexio.

4. Amplius. Anima regit corpus, & repugnat passionibus quæ complexione sequuntur: ex complexione enim aliqui sunt magis alii ad concupiscentias, vel iras apti; qui tamen magis ab eis abstinere, propter aliquid refrænans, ut patet in continentibus. Hoc autem non facit complexio. Non est igitur anima complexio.

Deceptus autem fuisse videtur Galenus ex hoc quod non consideravit, aliter passionem attribui complexionem, & aliter animæ. Complexioni namque attribuntur sicut disponenti, & quantum ad id quod est materiale in passionibus, sicut fervor sanguinis, & huiusmodi; animæ autem tamquam principali causæ ex parte ejus quod est in passionibus formale, sicut in ira appetitus vindictæ.

CAPUT LXIV.

Quod anima non sit harmonia.

Similis autem prædictæ positioni est positio dicentium, animam esse harmoniam. Non enim intellexerunt animam esse harmoniam sonorum, sed contrariorum, ex quibus videbant componi corpora animata: quæ quidem opinio in Lib. de Anima I. text. comm. LV. videtur attribui Empedocli. Gregorius autem Nyssenus Lib. II. de Phil. cap. III. attribuit

eam Dinarcho: unde & improbatur sicut & præcedens, & adhuc propriis rationibus.

1. Omne enim corpus mixtum harmoniam habet, & complexionem; nec harmonia potest movere corpus, aut regere ipsum, vel repugnare passionibus, sicut & complexio; intenditur etiam, & remittitur, sicut & complexio: ex quibus omnibus ostenditur quod anima non sit harmonia, sicut nec complexio.

2. Adhuc. Ratio harmoniæ magis convenit qualitatibus corporis quam animæ: nam sanitas est quædam harmonia humorum, fortitudo nervorum, & ossium, pulchritudo membrorum, & colorum. Non autem potest assignari qualium harmonia sit sensus, aut intellectus, & cætera quæ ad animam pertinent. Non est igitur anima harmonia.

3. Amplius. Harmonia dicitur dupliciter: uno modo ipsa compositio; alio modo ratio compositionis. Anima autem non est compositio, quia oportere quod iniquæque pars animæ esset compositio: aliquarum partium corporis, quod non est assignare. Similiter non est ratio compositionis, quia cum in diversis partibus corporis sint diversæ rationes, seu proportionem compositionis, singulæ partes corporis haberent singulas animas: aliam enim animam haberet os, & caro, & nervus, cum sint secundum diversam proportionem composita: quod patet esse falsum. Non est igitur anima harmonia.

CAPUT LXV.

Quod anima non sit corpus.

Fuerunt autem & alii magis errantes, ponentes animam esse corpus: quorum opiniones licet fuerint diversæ & variæ, sufficit eas hic communiter reprobare.

1. Viventia enim, cum sint quædam res naturales, sunt composita ex materia & forma. Componuntur autem ex corpore & anima, quæ facit viventia actu. Igitur oportet alterum istorum esse formam, & alterum materiam. Corpus autem non potest esse forma, quia corpus non est in altero sicut in materia, & subjecto. Anima igitur erit forma: ergo non est corpus, cum nullum corpus sit forma.

2. Adhuc. Impossibile est duo corpora esse simul. Anima autem non est seorsum à corpore, dum vivit. Non est igitur anima corpus.

3. Amplius. Omne corpus divisibile est. Omne autem divisibile indiget aliquo continente, & unione partes ejus. Si igitur anima sit corpus, habebit aliquid aliud continens, & illud magis erit anima: videmus enim, anima recedente, corpus dissolvi. Et si hoc iterum sit divisibile, oportebit vel devenire ad aliquod indivisibile, & incorporeum, quod erit anima, vel erit in infinitum procedere, quod est impossibile. Non est igitur anima corpus.

4. Item. Sicut supra cap. XLIX. probatum est, & in VIII. Phys. text. com. XL. & infra probatur, omne movens se ipsum componitur ex duobus, quorum alterum est movens, & non motum; & alterum est motum. Sed animal est movens se ipsum; movens autem in ipso est anima, motum autem corpus. Anima igitur est movens non motum. Nullum autem corpus movet nisi motum, ut supra Lib. I. cap. XLII. probatum est. Anima igitur non est corpus.

5. Præterea. Supra cap. LXI. ostensum est quod intelligere non potest esse actio alicujus corporis. Est autem actus animæ. Anima igitur, ad minus intellectiva, non est corpus.

Ea

Ea autem quibus aliqui conati sunt probare animam esse corpus, facile est solvere.

Ostendunt enim animam esse corpus, per hoc quod filius assimilatur patri etiam in accidentibus animæ, cum tamen filius generetur à patre per decisionem corporalem; & quia anima compatitur corpori, & quia separatur à corpore; separari autem est corporum se tangentium.

Sed contra hoc; jam dictum est cap. LXI. in calce quod complexio corporis est aliquid causa animæ passionum per modum disponentis; anima etiam non compatitur corpori nisi per accidens, quia cum sit forma corporis, movetur per accidens motu corpore; separatur etiam anima à corpore, non sicut tangens à tacto, sed sicut forma à materia; quamvis & aliquis tactus sit incorporei ad corpus, ut supra cap. LXI. ostensum est. Movet etiam ad hanc positionem multos, quia crediderunt, quod non est corpus, non esse, imaginationem transcendere non valentes, quæ solum circa corpora versatur. Unde hæc opinio Sap. II. 2. ex persona insipientium proponitur; dicentium de anima: (1) *Fumus, & status est in naribus nostris; & sermo scintilla ad movendum cor nostrum.*

CAPUT LXVI.

Contra ponentes intellectum, & sensum esse idem.

His autem propinquam fuit quod quidam antiquorum Philosophorum Emped. teste Aristotele II. de anima text. cl. & seq. intellectum à sensu differre non opinabantur: quod quidem impossibile est.

1. Sensus enim in omnibus animalibus invenitur. Alia autem animalia ab homine intellectum non habent: quod ex hoc apparet, quia non operantur diversa, & opposita, quasi intellectum habentia, sed sicut à natura mota ad determinatas quasdam operationes, & uniformes in eadem specie, sicut omnis hirundo similiter nidificat. Non est igitur idem intellectus, & sensus.

2. Adhuc. Sensus non est cognoscitivus nisi singularium: cognoscit enim omnis sensitiva potentia per species individuales, cum recipiat species rerum in organis corporalibus. Intellectus autem est cognoscitivus universalium, ut per experimentum patet. Differ igitur intellectus à sensu.

3. Amplius. Cognitio sensus non se extendit nisi ad corporalia: quod ex hoc patet quod qualitates sensibiles, quæ sunt propria objecta sensuum, non sunt nisi in corporalibus; sine eis autem sensus nihil cognoscit. Intellectus autem cognoscit incorporea, sicut sapientiam, veritatem, & relationes rerum. Non est igitur idem intellectus, & sensus.

4. Item. Nullus sensus se ipsum cognoscit, nec suam operationem: visus enim non videt se ipsum, nec videt se videre; sed hoc superioris potentie est, ut probatur in II. de Anima text. com. cxxxvi. & infra. Intellectus autem cognoscit se ipsum, & cognoscit se intelligere. Non est igitur idem intellectus, & sensus.

5. Præterea. Sensus corrumpitur ab excellenti sensibili; intellectus autem non corrumpitur ab intelligibili excellentia, quinimo qui intelligit majora, potest melius postmodum minor intelligere. Est igitur alia virtus sensitiva, & intellectiva.

(1) *Vulgata: Fumus status est in naribus nostris; & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum.*

CAPUT LXVII.

Contra potentes intellectum possibilem esse imaginationem.

Hic autem opinioni affine fuit quod quidam posuerunt Abubacher, & Avempace teste Averro III. de Anima comm. v. intellectum possibilem non esse aliud quam imaginationem: quod quidem patet esse falsum.

1. Imaginatio enim est etiam in aliis animalibus: cujus signum est quod abentibus sensibilibus fugiunt, vel persequuntur ea: quod non esset, nisi in eis imaginaria apprehensio sensibilibus remaneret. Intellectus autem in eis non est, cum nullum opus intellectus in eis appareat. Non est igitur idem intellectus, & imaginatio.

2. Adhuc. Imaginatio non est nisi corporaliū, & singularium, cum phantasia sit motus factus à sensu secundum actum, ut dicitur in II. de Anima text. com. clxi. Intellectus autem universalium, & incorporeum est. Non est igitur intellectus possibilis imaginatio.

3. Amplius. Impossibile est idem esse movens, & motum. Sed phantasmata movent intellectum possibilem, sicut sensibilia sensum, ut Aristoteles dicit in III. de Anima text. com. xxx. Impossibile est igitur quod sit idem intellectus possibilis, & imaginatio.

4. Præterea. Probatum est in III. de Anima text. com. vi. quod intellectus non est actus alicujus partis corporis. Imaginatio autem habet organum corporale determinatum. Non est igitur idem imaginatio, & intellectus possibilis.

Hinc est quod dicitur Job xxxv. 11. *Qui docet nos super fumenta terra, & super volucres cæli erudit nos: per quod datur intelligi quod hominis est aliqua virtus cognoscitiva supra sensum, & imaginationem, quæ sunt in aliis animalibus.*

CAPUT LXVIII.

Qualiter substantia intellectualis possit esse corpus, & in forma.

EX præmissis igitur rationibus concludere possumus quod intellectualis substantia potest corpori uniri ut forma.

1. Si enim substantia intellectualis non unitur corpori solum ut motor, ut Plato posuit; neque continuatur ei solum per phantasmata, ut dixit Averroes, sed ut forma; neque tamen intellectus, quo homo intelligit, est preparatio in humana natura, ut dixit Alexander; neque complexio, ut Galenus; neque harmonia, ut Empedocles; neque corpus, vel sensus, vel imaginatio, ut antiqui dixerunt: relinquitur quod anima humana sit intellectualis substantia corpori unita ut forma: quod quidem sic potest fieri manifestum.

2. Ad hoc enim quod aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur: quorum unum est ut forma sit principium essendi substantialiter ei cuius est forma: principium autem dico, non effectivum, sed formale, quo aliquid est, & denominatur ens; unde sequitur aliud, scilicet quod forma, & materia con-